

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XXII. Ecclesiasticum munus temerè non invadat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082

bia, & ut cum *Homero* Iliad. V. loquar, *ἡσέδοντες*, instabiles. Vide *D. Bartholomæi Agricola* de ætate ineuntium officia librum Politico-historicum cap. XVI. & XVII.

XXII.

Ecclesiasticum munus temerè non invadat.

Εἰρημίας.

Episcope munus etiam Angelicis humeris commendandum est, judice *Bernhardo* Claravallensi Abbate Serm. 2. de Ascens. & de persecut. cap. 29. Majorq. est Episcopatus provincia, quam quæ viribus nostris sustineri possit, judice *Valentiniano* Imper. in Electione cujusdā Episcopi vel Ecclesiæ Ministri, ut refert *Theodore* lib. IV. E. H. c. 5. Nihil est in hac vita & maxime hoc tempore facilius & latius & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum (vel in judicio divino) miserius & tristius & damnabilius, item nihil in hac vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quod noster Imperator jubet, ait sanctissimus *Hipponensium* Præsul, *Augustinus* in

in Epist. ad Valerium Episcop. quæ est
 CXLVIII. Tom. II. Oper. fol. 686. Gregorius M.
 inquit lib. I. Pastoral. in Proleg. *Regimen ani-*
marum est ars artium i. e. difficillima omni-um cu-
ra. Succinit Nazianzenus in Apologia, inqvi-
 ens, Τεχνη τις τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, ἀνθρώπων
 ἄνθρωπον πολυτροπώτατον τῶν ζώων καὶ ποικιλᾶτον. *Ars*
artium & scientia scientiarum mihi videtur es-
se hominem regere, quæ inter omnes animantes
maximè & moribus variis & voluntate diversis.
 Erasmus lib. I. Eccles. p. 464. T. V. Op. scribit;
 Non est aliud munus in universa Hierarchia Ec-
 clesiastica vel dignitate præclarior vel ad præ-
 standum difficilius, vel usu copiosius, quàm divina
 voluntatis apud populum agere præconem, ac cœ-
 lestis Philosophiæ Dispensatorem. Toti regno
 Sathanico, districto oris gladio obniti & tri-
 umphare, quàm helcyarii id laboris, quanti
 periculi? quantæ ἀσκήσεως, præferre aliis lu-
 men justitiæ, exclamat B. Dannhaverus
 Tom. I. Theol. Conscient. pag. 982. *Sic*
pro se unusquisque vix poterit in die iudicii
rationem reddere, quid de Sacerdotibus fu-
turum est, à quibus sunt omnium anima re-
quirende, ut ait iterum Augustinus serm.
 VII. I. Qvinqvag. Non autem solum pro
 omnibus auditorum animab9 reddenda erit
 ratio, in magno illo censorio die, sed etiam

pro singulis ; *Obedite Præpositis vestris & sub-*
jacete eis , ipsi enim persigilant pro animabus
vestris , tanquam rationem reddituri , graviter
monet S. Paulus Hebr. XIII. 17. Laß mir das
eine Gefahr seyn / inquit B. D. Jac. Wellerus,
quando pro Concione hanc sententiam Apo-
stolicam explicat , daß Lehrer und Prediger
wachen sollen / laß mir das noch grössere
Gefahr seyn / daß sie wachen sollen für
Seelen / laß mir dieses das allerschrecklich-
ste seyn / daß sie also für dieselben wachen
müssen / also die dermahleins für dem Rich-
terstuhl Christi Jesu dafür Rechenschaft
geben sollen. Quam charus Deo Christi
sangvis , tam chara quoque Deo est Ecclesia,
quam sanguine suo acquisivit , Actor. XX.
28. Propterea etiam sanguinem pereunti-
um à manu Ministri Deus tam severè requi-
rit Ezech. III. 18. De manu tua requiram ,
inquit Jehovah ; Cur de manu ? quia occidi-
sti. Tot enim homines occidimus , quot ad
mortem ire , quotidie tepidi & tacentes vide-
mus , scribit Gregorius (M. Epist. 114. Nam
Sacerdotes pro populorum iniquitate damnan-
tur , si eos aut ignorantes non erudiunt , aut
peccantes non arguunt , ut ait Isidorus lib. III.
de Sum. Bono cap. 46. Hinc Chrysostomus
Homil. III. in Acta Apost. pag. 464. Dico , in-
quit,

qvii, non temerè, sed ut affectus sum ac sentio.
 Non arbitror, inter sacerdotes multos esse qvè
 salvi fiant, sed multò plures, qui pereant. Qvòd
 alii peccant, sacerdoti imputatur, &c. Munus
 itaqve Pastoris vel Ministri Ecclesiæ non te-
 merè & *ἀνιστη* (qvod ajunt,) *πρωτῶν* invaden-
 dum est. Et hinc ab initio ferè Ecclesiæ viri
 sanctissimi ad munus docendi publicum ple-
 rumqve inviti sublimati fuerunt. Qvis ne-
 scit Sanctos Prophetas non suâ sponte, sed
 jussu ac admonitu Dei excitatos ad prædican-
 dum profiluisse. Docet S. Pagina, Mosen Pro-
 phetarum omnium patrem, elogio Maimo-
 nidis, suas merientem vires, detrectasse cum
 Pharaone congressum Exod. IV. 10. Hinc
 Car. Regius Or. Christ. lib. I. cap. 17. *Obse-*
quentissimus Dei famulus Moses, inquit, quàm
timide, quamqve cunctanter legationem ad Pha-
raonem suscepit? Assignatum sibi à Deo munus
tantum non subterfugere parat, onus deniqve,
qvod suis humeris impar existimabat, valentio-
ri alicui imponi adeò humiliter ac demissè depre-
eatur, ut propemodum quasi contumaciter abnu-
enti & recusanti servulo meritò subirasçi Domi-
nus videatur. S. Hieremias, qvem suis ma-
 nibus finxisse atqve formasse gloriatur Deus,
 ne ad concionandum, sive qvòd eo tempore
 idem erat, prophetandum, mitteretur, ætatis

exceptionem opponens, pueritię excusat impedimentum, *Ab, Ab, Domine Deus*, inquit, *ecce, nescio loqui*, i. e. prædicare cum fructu. Sic enim verbum loqui usurpatur Jer. XXIII. 28. Actor. XI. 14. I. Petr. IV. 11. Jacob. V. 10. *quia puer ego sum*. Jer. I. 6. Sic quoque Jonas missus in Niniven ad prædicandum, onera prævidens, fugit. Jon. I. 3. In primitiva Ecclesia multi doctissimi, sanctissimiq; viri præfecturas Ecclesiasticas recusarunt, vel ægrè sese ad illas trahi passi sunt, perpendentes, quàm multa & magna sibi impenderent ex Ecclesiæ gubernatione pericula. Sic *Cyprianus* lib. IV. Epist. 2. Cornelium Episcopum Romanum hoc nomine laudat, quod non, *ut quidam, vim fecerit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus sit, ut Episcopatum coactus exciperet*. S. Athanasium ab Alexandrino Alexandro vim inferente, vix tandem, ut thronum (Episcopalem) susciperet, persuasum esse, *Nicephorus* tradit lib. VIII. cap. 44. S. Basilium invitum & reluctantem ad Episcopatus solium subiectum esse ex vita ejus constat. Gregorius Nazianzenus in Apologetico se prolixè excusat, quod Episcopatus declinandi causâ in Pontum fugerit. Et in Orationibus suis refert, *se latitantem tum à Patre, tum à Basilio & Nyseno in medium protractum, magisque coactum, quàm*

quàm Episcopari persuasum. Ambrosius Mediolanensis Præsul de seipso scribit, ad Vercellensem Ecclesiam lib. X. Epist. 82. Tom. III. Oper. *Quàm resistebam ego, ne ordinarer, Et notat Paulinus in vita Ambrosii, quod cum esset ordinandus, semel atque iterum fugam meditatus sit.* Testantur quoque Ruffinus lib. II. Hist. Eccl. cap. XI. Socrates lib. IV. cap. 25. & Sotomenus lib. VI. cap. 24. Eum obluentem & plurimum resistentem Episcopum Mediolanensium factum esse, & simul baptismatis divinum donum & Pontificalem suscepisse dignitatem. Hinc B. Dannhaverus Tom. I. Theolog. Conscient. pag. 982. ait; *Ambrosii Mediolanensis Antislites, quæ fuit tergiversatio, qui declinationum modi, quæ deprecationum momenta? Bis fuga subductum, semel Ticini, iterum in Leontii suburbano, delitescentem ac suscipiendæ provincie difficultates reputantem ardentissimis verbis valentinianus Imper. ac populus Mediolanensis revocavit ac agrè adpedum accedentem Episcopatu imponit.* Cogitavit sine dubio Optimus Præsul, cum multa alia, tum vel maximè salutis propria in huiusmodi statu discrimina, fieri posse, ut qui salvaretur, si privatus mortem obiret, pereat ex perditione aliorum fidei suæ commissorum. Hæc ille, S. Chrysostomus fugâ sibi

consulunt, ne id opus vel onus assumere cogeretur, ut videre est in vita Ejus. Et testis ipse est libro de Sacerdotio. Synesium Cyrenensem, ne ad Episcopatum eveheretur, miris criminibus semetipsum infamasse legimus, vide Ejus Epist. 57. Augustinum quoque, singulare illud Ecclesiæ lumen invitum ad Præbyterium raptum esse constat. Cum enim Valerius Hypponensium in Africa Episcopus, de providendo & ordinando Presbytero civitatis plebem alloqueretur & exhortaretur, Sancti quidam viri Augustinum, qui in populo securus & ignarus, quid futurum esset adstabat, manu injectâ tenuerunt & Episcopo ordinandum intulerant, ubertim eo flente, ut refert *Posidonius* in vita ejus. Ipseque non diffitetur in Epistola ad Valerium supra allegatâ ubi inquit Col. 686. *Vus mihi facta est, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur.* Eustatium Episcopi, Sacerdotes & populus communi decreto ac consensu ad Antiochenæ Ecclesiæ regimen etiam nolentem venire compulerunt, vide *Histor. Eccles. Tripart. lib. II. c. 5.* Theodoret. lib. I. c. 7. Ephraim Syrus urbi cuidam designatus Episcopus infaniæ simulatione effugit. *Jamjam enim abducendus, in forum progressus, vestem post se non satis honestè trahens, venalia surripiciens,*
pro-

propalamque comedens, mentis impositus existimatus est, & tantisper, dum alius Episcopatum susciperet, delituit, ut refert *Nicephorus* lib. IX. c. 16. & *Sozomenus* lib. III. c. 16. De Ammonio Monacho *Palladius* Historiæ Lausiacæ cap. 12. *Socrates* lib. IV. cap. 18 & *Petrus Blesensis* Epist. 23. referunt, quod, cum Episcopo electus esset, nullo modo consentire voluerit electioni, atque cum invitatus traheretur, aurem sinistram sibi radicitus secuit, ut mutilo corpore ordinationem effugeret. Minatus etiam, linguam sibi abscissurum, si vim inferre pergerent. Confer *H. Tripart.* lib. VIII. c. I. *Nicephorum* lib. XI. c. 37. & *Sozomenum* lib. VII. c. 30. De S. Fulgentio sic loquitur autor vitæ ejus; Tunc B. Fulgentius eligentium vota velociori præveniens fuga, latebris incertis absconditur, nec quæsitus ullatenus invenitur. Sit infra; Tunc aggregatâ violentæ multitudinis manu, repente B. Fulgentius in propria cellula reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. De Sancto Anselmo sic scribit *Edimerus* lib. 2. vitæ ejus; Audit hoc ille, (Anselmus videlicet electionem suam) & ferè usque ad examinationem sui contradicit, reluctatur & obssistit. Prævalet tamen Ecclesia DEI conventus. Rapi-
 pitur ergo, & violenter in vicinam Ecclesiam

cum

cum hymnis & laudibus portatur magis quàm ducitur. Similia recusationis exempla in Historia Ecclesiastica plura occurrunt, Confer *Espencium* Com. in Epist. I. ad Timoth. Digress. lib. III. cap. 4. 5. & 6. Non defuerunt, etiam, qui verba Apostoli Jacobi Epist. c. III. v. I. *Ne multi Magistri estote, Fratres mei, scientes, quod majus judicium accipietis*, ita simpliciter acceperunt, quasi munus Doctoris Ecclesiæ, sive Magistri non sit facilè ambiendum, vel suscipiendum, cum majori subsint periculo, vel majus judicium, ut hic loquitur *Sacerdotum princeps & Apostolorum caput* (sic S. Jacobum Apostolum *Photius* appellat in Bibliotheca sua num. 833. referente ipso *Lorino Jesuita* in Præfat. super Epist. Jacobi,) accepturi sint docentes in Ecclesia quàm Discentes, Doctores, quàm Auditores, accuratissimam scil. rationem reddituri in novissimo die non tantum pro se, sed & pro omnibus & singulis curæ suæ commissis, Hebr. XIII. 17. *Ezech.* III. 18. Quamquam verbis citatis eos potissimum perstringat, graviusque judicium illis denunciât S. Jacobus, qui ambitione magis, quàm curâ fraternæ salutis impulsus, magisterialem auctoritatem vel jus rigidæ censuræ in alios (sive proximos) superciliosâ temeritate sibi arrogant & usurpant, illorū dicta & facta

rigl-

rigidè examinant, vitia asperè exagitant, turpitudinem detegunt & infirmitatem exaggerant &c. Prudentis itaque & circumspecti hominis est, rei magnitudinem & dignitatē, pericula item, certamina, labores & difficultates, quibus persona Episcopi, imò & cuiusvis Ecclesiæ Ministri exposita est, secum ante meditari, quàm hoc animarum regimen suscipiat, non ut magnitudine laborum aut periculorum, curarumque multitudine territus spem abjiciat, sed quò paratior, instructiorque ad tantum munus accedat. Nam sicut circumspecta rerum cognitio modestiam solet induere hominum animis, ita imperitiâ nihil serè audacius est; Uti Romanæ Eloquentiæ censor, *Fabius dicebat; Indoctos fortius dicere, quum trepident summi Oratores.* Hinc Videmus, quamplurimos ad tam difficile, laboriosum & periculosum officium aspirare, & tantâ confidentiâ sæpenumero munus alios docendi & gubernandi ambire, qui ferendo tanto oneri nec pares sint, nec unquā futuri. *Oportet te scire, verè scribit Athanasius ad Dracontium Episcopatum fugientem, Tom. I. Oper. pag. 735. Et non ambigere, quod antequam ordinareris, tibi vixisse, ordinatum autem, illis vivere, quibus ordinatus es. Quæritur hic, an alicui invito deferendum sit Ministeri-*

steri-

sterium Ecclesiasticum? Pro affirmativa quæ-
 stionis faciunt i. verba Imperatoris. *Si quæ-*
quam C. de Episcopis & Clericis; Tantum ab
ambitu debet esse sepositus Antistes, ut quæra-
tur cogendus, rogatus recedat, invitatus ef-
fugiat, sola illi suffragetur necessitas excusan-
di. Et postea; *Profectò indignus est Sacerdo-*
tio, nisi fuerit ordinatus invitatus, itemque
verba Bernhadi lib. IV. de consideratione
c. 5. admonentis Eugenium Papam, ac di-
centis; Non volentes, neque currentes assu-
mito, sed cunctantes, sed renuentes: etiam
coge illos, & compelle intrare. Notum quoq; est
 illud Gregorii M. effatum, sicut, qui invitatus
 renuit, quæsitus refugit, sacris altaribus admo-
 vendus est, sic qui ultro ambit vel importunè se in-
 gerit, est proculdubio repellendus. II. Exempla
 Moïsis, Jeremiæ, Sanctorumque Patrum, ha-
 ctenus magnò numero adductorum, qui om-
 nes ferè inviti & reluctantes Episcopatu
 humeros subjecerunt. III. Christus quoque
 ideo usus videtur voce ἐβόλην, Matth. IX.
 38. ut ostendat, hoc munus tam arduum esse,
 ut nemo illius difficultates expendens, facile
 id sibi imponi patiatur. Beza in notis ad
 h. l. inquit, vocis hujus (ἐβόλην) proprietatem
 si sequi volumus, intelligemus operarios vel cele-
 riter mittendos in opus Dei, vel etiam invitos &

cun-

canctantes extrudendos. Erasmus Schmidius
 ad h.l. annotat; Verbum ἐκβάλλειν hic non
 esse ejicere, sed *tantum non adhibita vi emit-*
tere, vel invitos emittere, mit gantzem Ernst
aus senden oder forttreiben / conf. Marc.
 I. 12. Ast enimverò negativa hic omninò
 tenenda est; Quam malo verbis B. Gerhar-
 di, quàm meis efferre; Ita enim ille in Loc.
 Theol. Loc. de Ministr. Eccles. §. 188. Si
 quis, inquit, *modestè & honestè suam adducens*
infrimitatem initio recusat ministerii partes su-
scipere, persuadendus est bonis rationibus, ut
Deo vocanti pareat, sin verò in recusatione sua
constanter pergat, invitus nequaquam eligen-
dus vel ordinandus est, 1. Cor. XVI. 12. ne-
que enim placent Deo coacta servitia, sed
spontaneum sibi deferri expetit obsequium Psal.
 CX. 3. ac Petrus Epist. I. c. 5. 2. *ad officium hoc*
ritè peragendum, μὴ ἀναγκάσας, ἀλλ' ἐκούσιος ὁπί-
σκοπεύοντας requirit. Hæc ille. Confer. Eundem
 Comment. in locum Petrinum jam addu-
 ctum pag. 724. seq. Ubi ait; Si quis obla-
 tum Ministerium recusare perrexerit, illi invito
 & reluctanti non esse istud deferendum, sed de
 alio idoneo dispendiendum, ex hoc loco Apostolico
 rectè colligitur. Gregorius lib. IV. Epist. 35. de se
 scribit; quod neminem unquam ad acceptan-
 dum Episcopatum cogere voluerit. C. Olim

VIII. q. I. ex Augustino contra Faustum Manichæum lib. 32. cap. 10. *Olim jussus est frater premortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi sobolem suscitarret, ejusque vocaret nomine, quod inde nasceretur. Quod si recusaret, discalceatus uno pede conspu solebat in faciem. Nunc Evangelii quisque Prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri i. e. Christo suscitaret semen, qui pro nobis mortuus est; & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat. At verò qui electus ab Ecclesia ministerium evangelizandi renuerit, ab Ecclesia ipsa merito, digneque contemnitur &c. Aurelianens. Synodus III. can. 7. Clericum invitum aut reclamantem ordinatum ab officio deponit, non communionem pellit; Episcopum verò, qui talem ordinare præsumpsit, annuali poenitentia subdidit. Gelasius Victori Episcopo, invitos promoveri, Ecclesiasticam moderationem, gravitatemque non pati, scripsit. Lutherus in Esa. VI. 8. *Qui coacti officium faciunt, non præstant utilem Ecclesie operam.**